

posset. Ergo, nisi admittatur existentia Entis necessarii, nullum ens contingens existere posset <sup>1</sup>.

28. Idem argumentum hoc alio modo efferri solet: Cum ens contingens ex natura sua sit indifferens ad existendum, vel non existendum, aliqua causa indiget, quae ipsum ad existentiam determinet. Iam si haec causa contingens est, et ipsa ab alia pendeat necesse est; et quoniam idem de quavis causa contingente dici debet, illud consequitur, quod, nisi ad causam, quae ab alia non pendeat, sed suae naturae necessitate vigeat, tandem aliquando ascendamus, series rerum dependentium sine illa, a qua pendent, admittenda foret. Atqui hoc evidentissime absurdum est. Ergo existentia rerum contingentium, cuiusmodi res mundanae sunt, existentiam Entis necessarii, nempe Dei, expostulat.

29. Postremum argumentum ex necessitate Sapientissimi Gubernatoris, qui singulas creaturas in suos fines ordinet, ac dirigat, eruitur. Sane experientia nobis patefacit res naturales operari propter finem, nam semper, aut frequentius eodem modo operantur, ita ut ad determinatum effectum producendum spectent <sup>2</sup>. Atqui res naturales, cum omni vi cognoscendi destituantur, certe non cognoscunt finem, ob quem agunt, ideoque ad finem assequendum nequeunt moveri ex seipsis, sed necesse est ut ab aliqua causa intelligente moveantur. Ergo admittenda est suprema aliqua causa intelligens, quae omnia in suos fines dirigit, et haec est Deus <sup>3</sup>.

ART. IV. *Obiectiones adversus allata argumenta exsolvantur*

30. Obiic. 1° Kantius: In argumento metaphysico, seu, ut ipse ait, *cosmologico*, ex ipsa notione Entis necessarii arguitur ipsum esse infinite perfectum, nempe Deum. Atqui haec argumentatio in argumentationem *ontologicam*, quae nullam vim habet, resolvitur. Ergo.

31. Resp. *Dist. mai.*, ex ipsa notione Entis necessarii *obiecti-*

<sup>1</sup> Hoc argumentum ita proponit Richardus Victorinus: « Si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino, unde ea existere potuissent, quae suum esse a semetipsis non habent, nec habere valent »; *De Trin.*, lib. I, c. 8.

<sup>2</sup> « Ad hoc, quod agens determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis »; *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>*, q. 1, a. 2 c. Cf *Ontol.*, c. IX, art. 4, p. 64.

<sup>3</sup> Hoc argumentum, cum in illud recidat, quod *physico-theologicum* passim appellatur, fusius in quinto articulo prosequemur.

*va*, et *reali*, *conc. mai.*, *subiectiva*, et *mere ideali*, *neg. mai.*; *neg. min.* *Neg. cons.* Sane, argumentum *ontologicum* non ideo futile est, quia ex conceptu Entis necessarii infinitas Eius perfectiones deducit, sed quia in eo idealis tantum existentia Entis necessarii continetur. E contrario, argumentum metaphysicum in primis notionem Entis necessarii obiectivam, et realem nobis exhibet, quia a rerum contingentium reali existentia, et a connexionione, quae inter effectum, et causam intercedere debet, ipsam deducit; deinde ex notione Entis necessarii infinitatem Eius derivat; et quoniam reale est Ens necessarium, quod argumento metaphysico probatur, quidquid per analysim conceptus illius demonstratur, verum, et reale quoque sit oportet. Quapropter inter argumentum *cosmologicum*, et *ontologicum* tanta differentia existit, quanta inter argumentationem, quae circa realitates, et eam, quae circa ideas tantum versatur.

32. Obiic. 2° Heghelius: Ratio, ob quam Ens necessarium existit, profecto ab existentia entis contingentis pendere haud potest. Atqui in argumento metaphysico existentia Dei ab existentia mundi pendere adstruitur. Ergo.

33. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min.* *Neg. cons.* Sane, cum arguitur, *Mundus existit; atqui mundus existere nequit, quin existat Deus; ergo existit Deus*; mundum esse causam, cur Deus existat, minime adstruitur, sed mundus habetur, uti *principium cognoscendi*, seu uti signum, quo cognosci possit Deum existere, et Deus uti *principium essendi*, seu uti ratio, cur mundus existat.

34. Obiic. 3° alii passim: Nulla inter creaturas, et Deum est proportio. Ergo ex creaturis ad Deum assurgere nobis non licet.

35. Resp. *Dist. ant.*, nulla est proportio *entitatis*, sive *naturae*, *conc. ant.*; nulla est proportio *connexionis*, et *dependentiae*, *neg. ant.* *Neg. cons.* Etenim, etsi creatura quoad sui naturam infinite distet a Deo, tamen « potest esse proportio creaturae ad Deum, in quantum se habet ad ipsum, ut effectus ad causam, et ut potentia ad actum <sup>1</sup> ». Iam ob hanc connexionem inter effectum, et causam, non vero ob identitatem naturae, ab existentia creaturae existentia Dei infertur. Haec autem illatio rite, recteque conclu-

<sup>1</sup> I, q. XII, a. 1 ad 4. Cf s. Bonav., *In lib. III Sent.*, Dist. XIV, a. 1, q. 3 ad arg.

ditur; nam  $\epsilon$  per effectus non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse; et sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse; licet per eos non perfecte possumus Eum cognoscere secundum suam essentiam<sup>1</sup>.

36. Inst. Eorum, quae sunt relativa, et connexa, eadem ratio est. Atqui ab Entis necessarii existentia nequit entis contingentis existentia inferri. Ergo a pari ne ab existentia quidem huius potest illius existentia argui.

37. Resp. *Dist. mai.*, si connexionis relatio est mutua, *conc. mai.*, si non est mutua, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Relatio inter contingens, et necessarium non est mutua; ens enim contingens postulat, ut sit Ens necessarium, a quo in suo esse determinetur, secus absque causa existeret;  $\epsilon$  contrario, Ens necessarium, sibi soli sufficiens, nihil in sui natura includit, quod productionem contingentis exigat. Quod si relatio inter Deum, et creaturas non est mutua, *paritas* illa, quae obiectione instituitur, consistere non potest<sup>2</sup>.

38. Obiic. 4<sup>o</sup> Effectus finitus a causa finita potest produci. Ergo ab existentia mundi, qui est effectus finitus, existentia Dei, qui est infinitus, perperam colligitur.

39. Resp. *Dist. ant.*, supposita causa infinita, *conc. ant.*, secus, *neg. ant. Neg. cons.* Sane effectum finitum causa finita gignere potest, ita tamen, ut Causa prima, sive infinita subaudiatur. Etenim 1<sup>o</sup> quaelibet causa finita, et contingens cum a se neque existere, neque agere valeat, Causam, quae a se existit, et a qua pendet, exigit, ut aliquem operetur effectum. 2<sup>o</sup> Causa finita, cum non producat ex nihilo substantiam alicuius rei, sed tantum quemdam modum *essendi* in substantia iam existente inducat, causam, ex qua substantia rei, super quam agit,  $\epsilon$  nihilo producitur, ex postulat. Iam causa, quae a se existit, et quae virtute producendi substantiam rei ex nihilo pollet, infinita est. Ergo intelligi non potest, quomodo a causa finita effectus finitus proficiscatur, nisi existentia Causae infinitae adstruatur. Exinde illud etiam perspicitur, quod etsi mundus sit effectus finitus, tamen, cum eius origo non nisi per productionem ex nihilo explicari possit, causam postulat infinitam.

<sup>1</sup> *Ibid.*, q. II, a. 2 ad 3. — <sup>2</sup> Cf *Logic.*, p. I, c. I, art. 8, p. 18-19, vol. I.

40. Obiic. 5<sup>o</sup> A sensu distributivo, ut aiunt, ad collectivum non valet illatio. Ergo, etsi singula entia contingentia nequeant ex sui natura in existentiam prodire, idem de tota serie non licet colligere.

41. Resp. *Dist. ant.*, si de proprietatibus *accidentalibus* sermo habeatur. *conc. ant.*, si de proprietatibus *essentialibus*, *neg. ant. Neg. cons.* Cum de proprietatibus accidentalibus agitur, non licet argumentari a singulis ad totam collectionem, quia id, quod convenit toti collectioni, potest non convenire singulis. At vero, si de proprietatibus essentialibus, valet argumentatio a singulis ad totam collectionem, illae enim aequae singulis, ac toti collectioni conveniunt. Iam *esse ab alio* essentialia est entibus contingentibus. Ergo neque ea singula, neque tota ipsorum collectio, etiamsi infinita supponatur, possunt esse a seipsis. Declarari id potest exemplo collectionis lapidum, quae, etsi infinita ponatur, nihil continere potest, quod lapidis ad ratiocinandum impotentiam excludat.

#### ART. V. De argumento physico-theologico

42. Argumentum *physico-theologicum* ex mundi specie, et apta partium dispositione sumitur. Iam  $\epsilon$  hoc argumentum, ut Hooekius ait, qui copiosius velit pertractare, illi tota Physiologia est percurrenda<sup>1</sup>. At nobis, qui compendio studemus, satis sit existentiam Dei ex ordine mundi generatim spectato comprobare.

43. Itaque argumentum hoc modo conficimus: Mirificus in hoc mundo ordo existit. Atqui, nisi Ens infinita intelligentia praeditum, nempe Deus, auctor huiusmodi ordinis assignetur, admirandi illius effectus causa sufficiens tollitur. Ergo<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *Theol. nat. et rev. principia*, t. I, pars I, sect. I. Sane, quaelibet res in natura attente consideretur, nos ad agnitionem Dei ducere potest. Hinc quamplurimi fuerunt, atque sunt, qui ex uno tantum entium genere, e.g., ex oculi dumtaxat, aut auris, aut manus artificio, aut ex pluviae, vel grandinis, aliarumque meteorarum generatione, vel ex sola dispositione, et cursu astrorum, vel etiam ex insectis, et vegetabilibus Sapientissimi Conditoris existentiam demonstrarunt. Atque quo rerum naturalium studium magis perficitur, eo plura huiusmodi argumenta a sapientibus explicantur. Cf *Ubaghs, Inst. phil.*, pars IV, *Theod.*, *Appendix notarum*, nota 4.

<sup>2</sup> Huius argumenti vim senserunt, et praedicarunt viri omnium aetatum

44. Quod spectat ad *maiolem*, res mundanae, quemadmodum alibi a nobis ostensum est <sup>1</sup>, etsi variarum specierum sint, tamen ita intel<sup>se</sup> colligantur, ut unicum mundi systema efforment; atque non obstantibus innumeris, variis, et partim contrariis, quibus praeditae sunt, viribus, per causas efficientes, et finales secum invicem connectuntur, et per constantem harum, quas inter se habent, relationum harmoniam, et consensum ad unicum finem concurrunt. Atqui ex his ordo Universi exurgit. Ergo de ordinis mundani existentia nulla occurrere potest dubitatio.

45. Quod autem ad *minorem* attinet, in primis, cum ordo sit apta dispositio mediorum ad finem, liquido patet causam mundani ordinis non nisi intelligentem esse posse; nam intelligentis est finem praefigere, atque apta media accommodare. Deinde huiusmodi causa infinite intelligens, nempe Deus, sit oportet. Re quidem vera, constantia ordinis in rebus mutationi obnoxiiis subsistere haud posset sine fixis legibus, quae nec per mutuam collisionem, nec per vicissitudines, contrariosque eventus unquam labefactarentur. Qui igitur ordinem constantem instituit, debuit omnes posibles legum collationes praevidere, easque dumtaxat seligere, quae numquam ad collisionem pervenirent, et nullo adverso eventu subverterentur, aut saltem per oppositam rerum vicissitudinem ad pristinam dispositionem redirent; hinc debuit etiam omnes posibles eventus, qui ex causarum activitate provenirent, omnesque eorum concursus perspectos habere; quinimmo cum et homines partem huius ordinis physici constituant, ab eorumque libera cooperatione constantia ordinis ex parte dependeat, plurimaque entia libero eorum usui subiciantur, debuit futuras eorum liberas actiones praevidere. Atqui praevisio omnium possibilem eventuum, atque actionum liberarum infinitam intelligentiam necessario expostulat. Ergo <sup>2</sup>.

sapientissimi. Ex antiquis satis erit memorare Platonem, Aristotelem, Ciceronem. Ex Ecclesiae Patribus laudari inter omnes debent s. Iustinus, s. Gregorius Nazianzenus, s. Gregorius Nyssenus, s. Basilius, et s. Augustinus, quorum praeclaram expositionem protulimus in *Op. Elem. seu Inst. phil. christ.*, vol. III, *Theol. natur.*, c. I, art. 4, p. 36 sqq (vel 367 sqq alt. edit. Neapol. 1873). Ex recentioribus meminisse iuvat rerum naturalium peritissimos Keplerum, Copernicum, Newtonum, Eulerum, Leibnitium etc. — <sup>1</sup> *Cosmol.*, c. VI, art. 1, p. 141 sqq, et art. 3, p. 145 sqq. <sup>2</sup> Cf Suarez, *Met.*, tom. II, disp. 29, sect. 2. Imprudenter nonnulli phi-

46. Obiic. Multa sunt in mundo imperfecta, immo inutilia, et noxia. Ergo ordo mundanus Causae Sapientissimae attribui nequit.

47. Resp. *Neg. ant.* In primis, eorum, quae in hoc mundo occurrunt, si in seipsis spectentur, nihil imperfectum dici potest. Etenim quatenus non est vel in vilissimo culice ordinata constructio partium? quinam vel in minima plantula fibrarum contextus? <sup>1</sup> Quod si aliquae res cum aliis nobilioribus conferantur, minus perfectae quidem sunt; at vero haec diversa partium perfectio ad compositionem totius plurimum confert; aiente enim s. Augustino, « ita ordinantur omnes (res) officiis, et finibus suis in pulcritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat <sup>2</sup> ».

48. Insuper, monente eodem sancto Doctore, de singularum rerum utilitate *recte non potest iudicari*, nisi earum relatio ad totum universum perspiciatur <sup>3</sup>. At vero nos tot, tantarumque rerum, quae in mundo sunt, nexum, variorumque finium subiectionem, eorumque ad ultimum finem relationem mente assequi non valemus. Si igitur totus ordo, singularumque rerum nexum perspectus nobis non est, inutile, vel noxium dicere nihil possumus. « Si intrares forte, ad rem ait s. Augustinus, in officinam fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem nescientem quid, quare sit, et omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, et habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt; artifex novit quare, etsi ego non novi. In officina non audet vituperare fabrum; et audet reprehendere in hoc mundo Deum? <sup>4</sup> » Ceterum, ut aliqua ratione apprehendi possit, quantum in iis, quae videntur noxia,

losophi catholici nullam vim argumento physico-theologico inesse docuerunt, nisi metaphysico fulciatur. Sane huiusmodi argumentum ea, quae a nobis propositum fuit, ratione, non cuiuslibet causae ordinantis existentiam, sed causae infinitae, nempe Dei, per se evincit.

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 22.

<sup>2</sup> *De vera Religione*, c. 40, n. 76. — <sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> *Enarr. in Ps. CXLVIII*, n. 12. Cf *De Gen. ad litt.*, lib. V, c. 21. Eadem ratione loquitur s. Thomas *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIX, q. II, a. 2 ad 5. Satis sint haec pauca: « Dicendum, quod quidquid est in mundo, totum ordinatum est; quamvis ratio ordinis nobis non appareat in quibusdam. Sed ratio ordinis huius scitur a Deo; sicut medicus scit, quare quibusdam aegris quandoque det calida, et quandoque frigida, et similiter sanis; quod tamen igneans artem admiratur ».

Divina Sapientia eluceat, audiendus est D. Chrysostomus, sic inquit: « At serpentes, et scorpii, et dracones, quid ad vitam utile adferunt? et quidnam commodi ex eis percipitur? Plurimum, idque inenarrabile, nec minus certe, quam ex mansuetis, et cicuribus. Illa enim sunt apta ad usum corporis; haec vero et tibi metum afferunt, et ut sis modestus, et temperatus efficiunt; et ad certamen instruunt, et peccatum primi parentis tibi in memoriam redigunt, et ostendunt, quantorum malorum causa sit inobedientia. . . Aliunde quoque possumus in his admirari providum Dei consilium. . . Tamquam enim servae relegatae sunt, et tempore, et loco a nobis procul remotae, et nisi tu eas invaseris, eae te non invadunt, sed versantur in solitudinibus <sup>1</sup> ». Sed de his uberius infra.

49. Obiectionem autem veterum Epicuraeorum <sup>2</sup>, qui pulcherrimam hanc coeli, terraeque harmoniam a bruta materia casu fortuito productam fuisse obgannunt, iam alibi exsufflavimus <sup>3</sup>; non solum enim universam rerum mundanarum coagmentationem, sed ne ullam quidem rerum speciem ex atomorum concursu prodire potuisse ostendimus. Quapropter de hoc Epicuraeorum deliramento aiebat Lactantius: « Quanto melius fuerat tacere, quam in usus tam miserabiles, tam inanes habere linguam! et quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui haec putet refellenda <sup>4</sup> ». Ceterum, etsi detur atomos a se existere, et ex eis improductis aliquid fieri posse, tum ipsas sponte se movere, atque talem esse hunc motum, ut sibi ipsis occurrere debeant, et secum consocientur, tamen nec id evinci potest, hunc mundi ordinem ex ipsis casu prodiisse. Etenim fingi non potest atomos infinitis vicibus sua sponte se dissolvisse, semel ac vero haec, quae modo spectatur, mundi conformatio casu contigit, non amplius dissolvi. Adhaec, cum constans effectus constantem habere debeat causam, fieri non potuisset, quemadmodum s. Athanasius observavit <sup>5</sup>, ut tot non dissimilia solum, verum etiam contraria corpora conspirarent in unum, unitatemque conservarent perpetuo, ac tuerentur <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> In *Psal. CXLVIII*, n. 3, et 4. Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, loc. cit.

<sup>2</sup> De his cf *Cosmol.*, c. VII, art. 1, p. 160, not. 5.

<sup>3</sup> *Ibid.*, p. 162, et c. I, art. 1, p. 89-90.

<sup>4</sup> *De ira Dei*, c. 10. — <sup>5</sup> *Oratio Contra Gentes*, n. 35.

<sup>6</sup> Cum haec ita se habeant, facile redditur responsum atheis illis, qui

50. Idem de recentibus materialistis <sup>1</sup>, qui ab attractione materiae insita ordinem mundi repetunt, dicatur. Etenim, admissa sola materiae attractione sine Deo, praeterquam quod neque ipsius attractionis, neque materiae, ex qua corpora conflata sunt, origo explicari posset, attractio illa unam materiae inordinatam, et confusissimam massam, non vero tot, tantaque corpora mole, forma, et figura a se invicem distincta et accuratis distantibus seiuncta, ex quibus istius universi venustas constituitur, efficere potuisset. Egregie propterea ita olim scripsit Boetius: « Mundus hic ex tam diversis, contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa coniungeret; coniuncta vero naturarum ipsa diversitas invicem discors dissociaret, atque divelleret, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret. Non tam certus naturae ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret <sup>2</sup> ».

#### ART. VI. De argumento morali

51. Accedit tertium argumentum, quod ex perpetuo, constan-  
tisque omnium populorum consensu petitur, quodque *morale* passim appellatur, atque ita exponitur: Omnes tum veteres, tum recentes gentes in id perpetuo consenserunt, ut supremum aliquid Numen admitterent. A qui hoc universale, et constans omnium populorum iudicium falsum esse nefas est dicere. Ergo.

52. Quod attinet ad *minorem*, quantum roboris habeat consensus omnium gentium ad veritatem evincendam, iam ostendimus in *Criteriaologia* <sup>3</sup>. Quod autem ad *maiolem* spectat, veterum populorum haec in re consensus probatur non solum ex

exemplo utuntur Homeri, aut Virgilio carminis, quod, si infinita notarum typographicarum coagmentatio ponatur, ex earum fortuito iactu tandem aliquando prodire posse fingunt. Etenim, ut haec compositio fingi possit, requiritur causa intelligens, quae notas typographicas efformet, quibus literae insculptae fuerint aptae Aeneidem conficere potius, quam Iliadem, aut poema aliquod Arabicum, aut Syriacum; quae eas moveat, et iuxta latera, quae exculptis literis sunt notata, demittat, quae efficiat, ut literae in illa compositione perdurent, et in pristinam infortitatem non relabantur.

<sup>1</sup> De his cf *Cosmol.*, c. VI, art. 3, p. 146, not. 4; *ibid.*, c. VII, art. 1, p. 160, not. 5; et *Anthrop.*, c. VII, art. 1, p. 231.

<sup>2</sup> *De Consol.*, lib. III, pr. 12. — <sup>3</sup> *Criter.*, c. IX, art. 3, p. 272-273, vol. I.

monumentis, templa enim, et altaria ubique terrarum erecta leguntur, festi dies instituti, Sacerdotes electi, ritus, quibus Divinitas celebratur, erecti; sed etiam ex Auctorum fide dignissimorum testimonio. Ita, inter ceteros Ecclesiae Scriptores <sup>1</sup>, Clemens Alexandrinus scribit *populos omnes, sive Orientem colant, sive litora Occidentis ultima teneant, sive ad Septentrionem, sive ad Meridiem habitent, quosdam Dei notitiam habere* <sup>2</sup>. Ex ethnicis autem Auctoribus, pervulgata est illa sententia Tullii: « Nulla est gens tam immansueta, tamque fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere debeat, tamen habendum esse sciat <sup>3</sup> ». Accedunt historici veterum populorum. Nulli enim sunt, qui non sui populi, et aliorum, quorum historiam scribunt, religionem referant; in asserenda Dei existentia unanimes, licet in reliquis saepe dissentiant. Quoad autem nationes recentioribus temporibus detectas, pariter nulla est, quae in admittendo Numine non consentiat, testibus ipsis historicis religionis nostrae inimicis. Fuere quidem, qui linguae aliquorum populorum haud satis gnari speciem quamdam atheismi inter eos detexisse putabant; verum viatores posteriores, iam magis instructi, eadem loca peragrantes, non obscura religionis indicia invenerunt <sup>4</sup>.

53. Neque quemquam moveat fuisse quosdam, et esse etiam modo, qui nullum extare Deum putent. Etsi enim id admittatur <sup>5</sup>,

<sup>1</sup> Vid. Ginoulhiac, *Histoire du dogme catholique*, t. I, par. 1, liv. I, c. V, p. 21 sqq, Paris 1852.

<sup>2</sup> Strom., lib. V, n. 260. — <sup>3</sup> De Legibus, lib. I, c. 8.

<sup>4</sup> Vid. Feller, *Catéchisme philosophique*, t. I, c. 1, et Brenna, *De generis humani consensu in cognoscenda Divinitate*, par. 1, lib. I, c. II et III.

<sup>5</sup> Qui Deum esse inficiantur, *Athei*, uti iam diximus, vocantur. Quoniam autem diversis modis Deus negari potest, multiplex extat *Atheorum* genus. Si qui essent, qui ob mentis tarditatem omni prorsus Dei cognitione destituantur, *Athei negativi* dicerentur. Qui vero Deum ab aliis agnosci, et adorari non ignorant, ipsi tamen summa intellectus excaecatione eum agnoscere detrectant, aut cavillationibus tollere nituntur, *atheii positivi*, vel *dogmatici* audiunt. Hi autem, qui non verbis Deum negant, sed tam pravis moribus vitam suam instituunt, quasi nullum timeant Deum, *atheii practici* vocantur. Iam vero multos esse practicos atheos, et qui simulate, et fallaciter persuasionem de Deo in suis, et aliorum mentibus, conquisitis undique ratiunculis, labefactare, et delere conantur, lugenda experientia docti sumus. Utrum autem veri athei negativi, atque dogmatici extiterint, vel extant, decertatur inter Scriptores. Quaestio haec ita e-

tamen argumenti vis nullo modo minuitur, quippe sicut non a monstris forma humana, ita nec a paucis, brutorum instar depravatis, natura rationalis inquirenda est.

54. Obiicit. Opinio de Deo ortum ducere potuit ex ignorantia caussarum naturalium, vel ex sacerdotum, aut legislatorum

nunciari potest: 1° Sunt ne homines aliqui tam ignari, ut Deum esse omnino nesciant? 2° Num homo quisquam ratiocinando ad eam opinionem perversitatem pervenire possit, ut re ipsa sibi persuadeat, non esse Deum? Quoad primum, haud fieri posse censemus, ut homo quispiam pleno rationis usu fruens Deum penitus ignoret. Est enim cognitio existentiae Dei paratu facillima, statimque in mentem venit, cum tam miram, apteque dispositam mundi fabricam intuemur. « Haec est, ait s. Augustinus, vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti, non omnino, ac penitus possit abscondi » (Tract. in Ioann. CVI, n. 4). Exinde etiam colligitur atheos dogmaticos re ipsa non esse; cum enim evidens sit ratio, quae Deum existere apertissime demonstrat, potest fieri, ut homo, cuius intellectus prava institutione, aut voluntas pravis affectibus vitiata sint, eo prolabatur, ut aliquantulo tempore sibi in animum inducat Deum non esse; at numquam fieri potest, ut homo recto rationis usu plene fruens, seu intellectu, et voluntate sanus, et integer, firma animi persuasionem cogitet non esse Deum (cf eundem sanctum Doctorem. *Enarr. in Ps. XIII*, n. 2). His ante notatis, praeter paucos inter veteres, post renatas, uti aiunt, litteras, Lucilius Vanini neapolitanus atheismum propugnavit, ob hanc rem Tolosae combustus; eiusdemque erroris Spinoza, Hobbes, Tolandus vulgo accusati sunt. Omnes porro atheorum cavillationes ab Auctore *Systematis naturae*, aliisque proxime elapsi saeculi materialistis, in Gallia praesertim, ab orco revocatas fuisse latet neminem. Denique, ne qua errorum pestis nostrae aetati deesset, atheismum sui suffragatores habet. Enimvero *Annalium Germanicorum* Scriptores, qui ad Scholae hegelianae *sinistram* pertinere dicuntur, atheismum apertissime profitentur. Omnes audacia, et stultitia vincit impius Fevebach, qui tum soluta, tum numeris adstricta oratione laudes celebrat *Magni Nihili*, ex quo omnia prodeunt, et in quod omnia redeunt. Inter Gallos, in Sansimonianorum, et Fourieristarum libris non pauca inveniuntur, quibus Dei existentia prorsus tollitur. Certe Augustus Comte Sansimonianus atheismum fore humani progressus apicem palam venditavit; siquidem, ex eius sententia, cum genus humanum vi progressus continui ad caussarum naturalium perfectam notitiam pervenerit, Dei notionem non nisi ex caussarum naturalium ignorantia ortum duxisse, et Deum propterea vanum figmentum esse cognosceret (cf *Ephem.*, *La Scienza e la Fede*, vol. IX, p. 81 sqq, Napoli 1845). Denique satis compertum est inter hos abiudicati Numinis reos recensendos esse Proudhon, Hernestum Renan (vid. E. Caro, *L' idée de Dieu*, c. 2, Paris 1864), atque, ut alios praetereamus, Buchnerum, aliosque materialismi *dynamici* (cf *Anthropol.*, c. VII, art. 1, p. 231) adsertores.

fraude, vel ex metu, vel ex praeiudicatis opinionibus. Ergo argumentum morale pro Dei existentia minime valet.

55. Resp<sup>o</sup>, *neg. ant.* Et sane 1<sup>o</sup> tantum abest, ut persuasio de Dei existentia sit commentum ex ignorantia caussarum naturalium natum, ut e contrario rerum physicarum peritissimi eamdem acrius tueantur<sup>1</sup>. Qua in re verissimum est illud Verulamii effatum: « Philosophia obiter libata a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eundem ». 2<sup>o</sup> Sacerdotes, et legum latores huic opinioni originem dare non potuerunt. Nam sacerdotum institutio opinionem Divinitatis colendae subaudit. Legislatores autem si hanc fabulam confinxissent, qui factum est, ut omnibus in toto orbe aequaliter in mentem veniret; et cum aequali ubique successu propagaretur? Sane religio a legislatoribus conficta gravissimum onus foret hominibus impositum: putamus ne tam molesto medio populos ad subiunctionem compelli posse? E contrario, uti historia nos docet, legislatores, cum viderent plebem ad religionem propensissimam, Deorum, quos ipsa ante venerabatur, auctoritate leges suas constabilire adlaborarunt. Denique cur haec imperantium fraus a sapientiori aliquo detecta numquam fuit? 3<sup>o</sup> Numquam timor in hominum mentibus ideam Dei ingenerare potuisset, nisi iam ipsi imbuti essent notionibus iusti, et iniusti, ac proinde notione supremi Legislatoris, qui iniustas actiones prohibet, atque ab illas patrantibus poenas repelit. Hinc patet timorem esse religionis effectum, non causam. Quinimmo timor atheismum induxisse potius dendus est; nam scelesti homines, ut, excusso timore, liberius peccarent, sibi persuadere conantur nullum esse Deum flagitorum vindicem. 4<sup>o</sup> Nullus prorsus praeiudicii character in persuasione de Dei existentia adest; sed contraria prorsus omnia obtinent. Praeiudicia enim in quibusdam nationibus, numquam in toto genere humano eadem inveniuntur; diuturnitate temporis, et scientiarum cultura maius robur non accipiunt; a sapientioribus persaepe agnoscuntur, et cognita corriguntur. E contrario, opinio de existentia Dei per totum orbem diffusa, saeculorum progressu magis, magisque innotuit, eamque ipsi quoque sapientes, quorum est praeiudicia corrigere, constanter tenuerunt.

<sup>1</sup> Vid. p. 301, not. 1, et 2.

## CAPVT II.

## De natura Dei

## ART. I. Dei naturam infinite perfectam esse ostenditur

56. Ex ipsa existentiae Dei demonstratione colligitur Ipsum esse Causam Primam, quae ab alia non pendet, et ideo a se ex necessitate suae naturae existit. Iam ex hoc, quod Deus est Causa Prima, quae a seipsa est, Ipsum infinite perfectum esse oportere planis argumentis conficitur. Quod cum ita se habeat, nostrum est primo illud enucleare, quod Deus ex necessitate suae naturae a se existit, deinde infinitam Eius perfectionem evincere.

57. Prop. 1<sup>a</sup>. *Deus est ex necessitate naturae a seipso.*

*Probat.* 1<sup>o</sup> Deus ex necessitate suae naturae existit. Etenim: « Omne, quod est possibile esse, et non esse, indiget aliquo alio, quod faciat ipsum esse, quia quantum est in se, se habet ad utrumque. Quod autem facit aliquid esse, est prius eo. Ergo omni, quod est possibile esse, et non esse, est aliquid prius. Deo autem non est aliquid prius. Ergo non est possibile Ipsum esse, et non esse, sed necesse est Eum esse<sup>1</sup> ». 2<sup>o</sup> Existit a se. Et sane, in iis, quae ita sunt necessaria, ut causam suae necessitatis habeant, hanc causam priorem eis esse oportet. Atqui nihil prius Deo esse potest. Ergo Deus non habet causam suae necessitatis, ac proinde ita necessario est, ut a se, et non ab alio sit<sup>2</sup>.

58. Ex hac propositione illud, veluti corollarium, infertur, quod *Esse Dei* sit ipsa Eius *Essentia*. Etenim illud, cuius esse est aliud ab essentia, aliquam sui *esse* causam agnoscit. Cum igitur Deus habeat *esse* a se, et non ab aliqua causa, dicendum est Eius *Esse* esse ipsam Eius *essentiam*<sup>3</sup>. Hinc Deus dicitur *ipsum esse per se subsistens*, ita nempe, ut per ipsam suam essentiam existat.

59. Prop. 2<sup>a</sup>. *Divina Natura omnes possibles perfectiones complectitur.*

*Probat.* 1<sup>o</sup> Deus est rerum omnium, quae sunt, et esse possunt, prima causa efficiens. Atqui quidquid perfectionis est in

<sup>1</sup> Opusc. III, *Compendium Theol.*, c. 6. — <sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 4 c.